



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini Origines ac  
Progressus, Per Italiam, Hispaniam, Galliam, Germaniam,  
Belgium, aliasque orbis Christiani prouincias**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

Capvt LXXVI. Raitenbvchense Monasterium, Germanicè Raitenbuch in  
Bauaria.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11321**



## CAPVT LXXVI.

RAITENBVCHENSE MONASTE-  
 rium, Germanicè Raitenbuch in  
 Bauaria.

**F**Vndatum est hoc monasterium anno  
 1185. à *Guelphone* quarto huius nominis,  
 & primo Duce Bauariæ; cuius Pater eiusdem  
 nominis *Guelpho* tertius monasterio in *Al-*  
*torf*, quod nunc *VVeingarten* dicitur, in Sue-  
 uia, ac S. Martino omne suum patrimonium  
 in perpetuum donauit; ipse quoque extremū  
 diē claudens, ibidem sepultus est. filius huius  
*Guelpho* prædictus, fuit vir strenuus, armo-  
 rum peritissimus, & sapientia tam forensi,  
 quàm ciuili præditus, multasque tempestates  
 bellorum contra se & alios in finibus suis ex-  
 citatas magna serenitate & moderatione se-  
 dauit. Vxorem duxit Regnam Angliæ, *Iudi-*  
*tham* nomine, viduam, filiam Comitis Flan-  
 driæ. Hic, cum ad senilem ætatem peruenis-  
 set, & *Raitenpuech* monasterium construere  
 cœpisset, satisque copiosè dotasset, similiter  
 & cœnobium *Altorphense* prædijs, municipijs,  
 alijsque plurimis ornamentis ecclesiasticis  
 ditasset, ad terram sanctam profectus, in re-  
 ditu in insula Cypro obiit. hinc ossa eius ad  
 monasterium Altorfense allata sunt.

Socij huius sacrae perigrinationis aut in-  
 terfecti



perfecti, aut viui Saracenis sunt traditi, perfidiâ Alexij Imperatoris Græcorum: inter quos etiam *Thiemo* Archiepiscopus Salisburgensis in Corozaim martyrio affectus est.

## CAPVT LXXVII.

## BOLONIENSE MONASTERIVM

*B. Mariæ, in Gallia.*

**B**ONONIA, vetus Galliæ Belgicæ est oppidum, apud Caletes situm, haud procul ab Oceano, quod vulgò Boloniam vocant. Temporibus Caroli V. Imper. cùm Teruana Morinorum funditus esset excisa, sedes Episcopalis Morinensis, seu Teruanensis Boloniam est translata.

Iuxtà hanc urbem anno 1559. fundata est Abbatia Beatæ Mariæ, quæ anno millesimo quingêtesimo quadragesimo quarto, ab Henrico VIII. Angliæ est diruta. Fuit olim vna ex ijs quæ spectabant ad Congregationem Aroasiensem: de qua vide suprâ.

Apud Boloniam fuit & alia Sancti Vulmari Abbatia, Canoniorum itidem regularium, quæ ab eodem Henrico Rege est vastata.

CAPVT